



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Narbonensi apostolicæ sedis Legato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

confiteris, ut hæretorum abneges te fau-
torem; vel hæreticos te fovere quodam
modo respondes, si legitimè occupasse ter-
ram illorum alleges. Formabant nihilomi-
nus ex eo querimoniam specialem quod
dum Rex servitio Iesu Christi contra Sar-
racenos insisteret, & effusionem suum & suo-
rum sanguinem exponeret pro reverentia
fidei Christianæ, tu bona vassallorum ejus-
dem in propria usurpabas, eoque fortius
ad depressionem instabas illorum quod mi-
nus Rex poterat eis opem suæ protectionis
impendere, vires suas expendens contra
Sarracenæ gentis perfidiam in auxilium po-
puli Christiani. Et cùm adhuc Rex idem
partes suas contra Sarracenos intendat ar-
mare, ut adversus eos Deo duce tanto
efficaciū possit insurgere quanto majori
quoad alios quiete gaudebit, in pace sibi
restitui per sedem apostolicam quæ vassal-
lorum ejus extiterant postulabat. Nolen-
tes igitur ipsum suo jure fraudari nec jam
dictum ejus propositum impediri, nobilitati
tuæper apostolica scripta mandamus
quatenus eidem Regi & vassallis ejus terras
restitutas supradictas, ne ad tuum specia-
lem, non generalē catholicæ fidei, la-
borasse profectum per retentionem illici-
tam videaris. Datum Laterani xvi. Kal.
Februarij, pontificatus nostri anno deci-
moquinto.

*NOBILI VIRO SIMONI
Comiti Montifortis.*

*Epiſt. 114.
Vt Regi Ara-
gonum faciat
homagium de
civitate Car-
cassonensis.
Vide lib. 11.
epiſt. 108. &
Hist. Albig. cap.
47.*

CVM ad mandatum sedis apostolice
carissimus in Christo filius noster Pe-
trus illustris Rex Aragonum in feudum ti-
bi concesserit Carcassonam, quam ab eo
Vicecomes tenuerat Biterrensis, postula-
bat ut ea sibi faceres quæ dictus Vicecomes
ei suisque prædecessoribus facere consue-
verat & debebat. Quia verò intentionis
nostra non extitit quod ei de jure suo per
talem feudatarium aliquid deperiret, nec
te subtrahere debes illius oneribus in cuius
quoad feudum ipsum successisti commo-
dum & honorem, cùm possessionem one-
ra mutari de levi non consueverint muta-
tionibus possefforibus, quia res cum onere
suo transit, per apostolica tibi scripta man-
damus quatenus ea dicto Regi facere non
recuses ad quæ memoratus Vicecomes te-
nebatur eidem: quoniam quantumcunque
te in Domino diligamus, sic tibi nec volu-
mus nec debemus adesse ut ipsi Regi deesse
in sua iustitia videamur. Datum Laterani
xvii. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno
decimoquinto.

*ARCHIEPISCOPO NARBONENSI
apostolica sedis Legato.*

CVM jam captis vulpeculis demoliens
tibus vineam Domini Sabaoth in
Provincia, quam virus infecerat heretice
pravitatis, & instantia bellicæ cladi fatis
per Dei gratiam sit negotium fidei prosp-
ratum, quia causa nunc magis urgens oc-
currat, expedit ut ad illam manus Chri-
stiani populi convertantur. Accepimus si-
quidem quod Rex Sarracenorum partes
suis armat ad prælium, nitens eō fortius
in fidei Christianæ cultores insurgere quo
lapsi graviore succubuit sub populo Chri-
stiano, immo sub Christo causam suam
proprio nobis judicio judicante. Terra
etiam quæ funiculus est hereditatis domi-
nica, cùm auxilio multum indigat, ex-
petit & expectat suffragia populi Chri-
stiani. Quia verò frequenter, & quidem fre-
quentius, vires collecte proficiunt in quibus
sparsa de levi deficerent, ut Christicola-
rum generali ac speciali negotio contra
Sarracenæ gentis perfidiam tanto efficacius
intendamus quanto minus erimus alii oc-
cupati, fraternitati tuae per apostolica
scripta mandamus quatenus habito cum
carissimo in Christo filio nostro Petro illa-
stri Rege Aragonum & tam Comitibus
quam Baronibus aliisque viris prudentibus,
quos ad hoc noveris necessarios, de pace
ac treugis sollicito & diligenter tractatu, per
pacis federa vel treugarum firma securi-
tate vallata studeas diligenter toti Provin-
ciæ providere; sic quod per indulgentias
sedis apostolicae, quæ adversus hærenicos
emanarunt, Christianum populum non
convoces aut fatiges, nisi forte à sede apo-
stolica super hoc mandatum suscipieris spe-
ciale. Tu denique, frater Archiepiscopo,
supper te ipso &c. Datum Laterani xviii.
Kal. Februarij, pontificatus nostri anno
decimoquinto.

*MAGISTRIS LAMBERTO
& Iacobo de Lauduno & Iacobo de Mai-
deires Canonicis Virdunensibus.*

AD audientiam nostram dilecto filio
N. Presbytero significante pervenit
quod cùm animarum cura parrochianorum
Ecclesiarum de Noere sit ei commissa,
patronis ipsius Ecclesiarum plena manu reci-
pientibus proventus spectantes ad ipsam,
ei tam mediocriter est provisum quod fu-
stentari nequit de assignatis sibi redditibus
competenter. Vnde cùm sit æquitati con-
trarium ut Ecclesiarum patroni bonis ec-